

SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

INDEX LECTIONUM

IN

REGIO LYCEO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLIX

INSTITUENDARUM

BRUNSBURGAE,

TYPIS HEYNEANIS.



INDEX LECTOZUM

REGII LYCEI HOSIANI H. T. RECTOR

REGII LYCEI HOSIANI H. T. RECTOR

MICH. JOS. KRÜGER,

S. THEOL. DR. EJUSQUE PROFESSOR PUBL. ORDIN.

REGII LYCEI HOSIANI BRUNSBURGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Nemini Vestrum, commilitones humanissimi, ignotum erit, quo studio et ardore cives Cracovienses et Thorunenses de patria Nicolai Copernici jam dudum certaverint atque etiamnunc certent. At verum si quaerimus, praestantissimus hic vir neque Thorunensis neque Cracoviensis, sed Varmiensis aut Frauenburgensis dicendus est. A Varmiensi enim episcopo Luca Watzelrode, avunculo suo, educatus literarumque amore imbutus et primo studiorum cursu Cracoviae absoluto vix annum vicesimum quartum agens in capitulum Frauenburgense receptus est; hinc una cum Andrea fratre ab ipso capitulo in Italiam missus complures annos tam Bononiae, quam Romae ac Paduae, studiis, quae Cracoviae adamaverat, astronomiae imprimis et literis antiquis operam navare perrexit; huc ex Italia rediit; hic canonici munere fungens totam vitam studiis transegit, hic sidera observavit, hic leges cognovit, quibus corpora coelestia per coeli spatium se moventia parent cursumque ipsis praescriptum conficiunt; hic denique opus suum immortale de revolutionibus orbium coelestium inchoavit, exegit, quo totius artis astronomicae exstitit reformator. — Non attinet, hujus viri, quo non vidit Prussia majorem intelligendi auctorem, de astronomia merita pluribus exponere. Quis enim est, qui haec ignoret? Sed fortasse nondum cognita est Vobis ipsius in libros de orbium coelestium revolutionibus praefatio, quae, quum plus tria saecula Pragae in libro manuscripto bibliothecae Nosticianae recondita delitisset, nuper demum editione nova operum ejus, quae prodiit Varsaviae 1854, p. 10—12 ex ipsius Copernici manuscripto in lucem emissa est. Egregie editores Varsavienses hoc munere de viro immortalis meriti sunt. Sed tam praefationem illam, quam reliqua ejus opera, minus

accurate, quam par erat, literarum formis exprimendam curaverunt. Facile id cognoscitur ex imagine autographi lithographica, quam editioni suae adiunxerunt. Quare non ingratum Vobis fore existimavimus, si praefationem illam passim correctam et paucis illustratam Vobiscum communicaremus.

COPERNICI IN LIBROS DE REVOLUTIONIBUS ORBIUM COELESTIUM PRAEFATIO.

„Inter multa ac varia literarum artiumque studia, quibus hominum ingenia vegetantur, ea praecipue amplectenda existimo, summoque prosequenda studio, quae in rebus pulcerrimis et scitu dignissimis versantur. Qualia sunt, quae de divinis mundi revolutionibus cursuque syderum,¹⁾ magnitudinibus, distantis, ortu et occasu ceterorumque in coelo apparentium causis pertractant ac totam denique formam explicant. Quid autem coelo pulcrius, nempe quod continet pulchra omnia, quod vel ipsa nomina declarant: Coelum et Mundus, hoc puritatis et ornamenti,²⁾ illud coelati appellatione.³⁾ Ipsum plerique philosophorum ob nimiam ejus excellentiam visibilem deum vocaverunt.⁴⁾ Proinde, si artium dignitates penes suam de qua tractant materiam aestimantur,⁵⁾ erit haec longe praestantissima, quam alii quidem astronomiam, alii astrologiam, multi vero priscorum mathematices consummationem vocant. Ipsa nimirum ingenuarum artium caput, dignissima homini libero, omnibus fere mathematices speciebus fulcitur. Arithmetica, Geometrica, Optice, Geodesia, Mechanica et si quae sint aliae, omnes ad illam se conferunt. At cum omnium bonarum artium sit abstrahere a vitiis et hominis mentem ad meliora dirigere, haec praeter incredibilem animi voluptatem abundantius id praestare potest. Quis enim inhaerendo iis, quae in optimo ordine constituta videat divina dispensatione dirigi: assidua eorum contemplatione et quadam consuetudine non provocetur ad optima admireturque opificem omnium, in quo tota felicitas est et omne

¹⁾ [syderum] Editores Varsavienses ab autographo recedentes: siderum.

²⁾ [Hoc puritatis et ornamenti] Cf. Varro de ling. lat. Plin. nat. hist. II, 3 (4, 8): „Nam quem κόσμον Graeci nomine ornamenti appellaverunt, eum nos a perfecta absolutaque elegantia mundum.“

³⁾ [coelati appellatione] Cf. Plin. I. c. II, 3 (4, 9): „Caelum quidem haud dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur Varro.“

⁴⁾ Plato Tim. p. 92 C. coll. p. 34 A.

⁵⁾ Ex autographo legendum videtur: aestimentur; item post viciis et inherendo pro vitiis et inhaerendo.

bonum. Neque enim frustra divinus ipse psaltes delectatum se diceret in factura Dei, et in operibus manuum ejus exultabundum,⁶⁾ nisi quod hisce mediis quasi vehiculo quodam, ad summi boni contemplationem perducamur. Quantam vero utilitatem et ornamentum Reipublicae conferat, ut privatorum commoda innumerabilia transeamus, praeoptime animadvertit Plato, qui in septimo legum libro ideo maxime expetendam putat, ut per eam dierum ordine in menses et annos digesta tempora, in solemnitates quoque et sacrificia vivam vigilantemque redderent civitatem; et si quis, inquit, necessariam hanc neget homini optimarum doctrinarum quamlibet percepturo, stultissime cogitabit et multum abesse putat, ut quisquam divinus effici appellarique possit, qui nec solis nec lunae nec reliquorum syderum necessariam habeat cognitionem.⁷⁾ Porro divina haec magis quam humana scientia, quae de rebus altissimis inquirat, non caret difficultatibus, praesertim quod circa ejus principia et assumptiones, quas Graeci hypotheses vocant, plerosque discordes fuisse videamus, qui ea tractaturi aggressi sunt: ac perinde non eisdem rationibus innixos; praeterea quod syderum cursus et stellarum revolutio non potuerunt certo numero definiri et ad perfectam notitiam deduci: nisi cum tempore et multis antea observationibus, quibus ut ita dicam per manus traderetur posteritati. Nam etsi C. Ptolemaeus Alexandrinus, qui admiranda sollertia⁸⁾ et diligentia caeteris longe praestat, et quadringentorum et amplius annorum observatis totam hanc artem paene consummaverit, ut jam nihil deesse videretur, quod non attigisset.⁹⁾ Videmus tamen, pleraque¹⁰⁾ non convenire iis, quae traditionem ejus sequi debebant, aliis etiam quibusdam motibus repertis, illi nondum cognitis. Unde et Plutarchus, ubi de anno solis vertente disserit: „hactenus,“ inquit, „syderum motus mathematicorum peritiam vincit.“¹¹⁾ Nam ut de anno ipso exemplificem, quam diversae semper de eo fuerint sententiae, puto manifestum adeo, ut multi desperaverint, posse certam ejus rationem inveniri. Ita de aliis stellis.¹²⁾

⁶⁾ [exultabundum] Male editores Varsavienses: exaltabundum. Cf. Psalm 92 (vulg. 91), 5.

⁷⁾ Plato de legg. VII, p. 809 D. sqq.

⁸⁾ [sollertia] Edit. Varsav. solertia.

⁹⁾ [attigisset] Male edit. Varsav. attingisset.

¹⁰⁾ [pleraque] Male edit. Varsav. pluraque.

¹¹⁾ [peritiam vincit] Male editores Vars. ab autographo recedentes: peritia vincit, quo sententia plane corrumpitur in contrariamque mutatur. Ante oculos habuit Copernicus Plutarchi verba, quae leguntur Quaest. Rom. c. 24. Opp. vol. VIII, p. 325 ed. Hutt.: περιγίνεται τῆς ἐμπειρίας τῶν μαθηματικῶν ἢ τῆς κινήσεως ἀνωμαλία διαφεύγουσα τὸν λόγον.

¹²⁾ [Ita de aliis stellis] Haec in margine autographi scripta leguntur.

[Attamen ne hujusce difficultatis praetextu ignaviam videar ¹³⁾ contexisse], ¹⁴⁾ tentabo favente deo, sine quo nihil possumus, latius de his requirere, cum tanto plura habeamus adminicula, quae nostrae subveniant institutioni, quanto majori temporis intervallo hujus artis auctores nos ¹⁵⁾ praecesserunt, quorum inventis, quae a nobis quoque de novo sunt reperta, comparare licebit. Multa praeterea aliter quam priores fateor me traditurum, ipsorum licet munere: utpote qui primum ipsarum rerum inquisitionis aditum patefecerunt.“

Videtis, Commilitones humanissimi, quot locis edita Copernici praefatio ab autographo discrepet. Sane operae pretium videtur emendatiorem etiam reliquorum operum, quibus ex Varmia vir immortalis homines ad rectiorem rerum coelestium cognitionem perduxit, editionem adornare.

¹³⁾ [videar] Male edit. Vars. videor.

¹⁴⁾ [Attamen ne — contexisse] Haec verba excepto illo „hujusce“ in Copernici autographo lineola transfixa sunt. Fortasse dicere voluit: „Ita de aliis stellis tentabo favente deo, sine quo nihil possumus, latius requirere.“

¹⁵⁾ [nos] Omiserunt editores Varsavienses.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Lic. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam ecclesiae primi aevi enarrabit diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora XI—XII.
- II. De antiquitatibus ecclesiasticis disseret diebus Martis, Jovis et Veneris hora VI—VII.
- III. Concilii Tridentini decreta de reformatione interpretabitur adjunctis repetitionibus ex ecclesiae jure atque historia die Saturni hora XI—XII.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.

- I. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit diebus Lunae et Jovis hora IX—X.
- II. Psalmos selectos interpretabitur diebus Martis et Veneris hora IX—X.
- III. Epistolam ad Hebraeos datam explicabit diebus Mercurii et Saturni hora IX—X.
- IV. Actus Apostolorum explicabit ternis per hebdomadem horis definiendis.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

- I. Introductionem in studium theologicum tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
- II. Apologetices partem priorem tractabit diebus Veneris et Saturni hora X—XI.
- III. Doctrinam dogmaticam de Redemptione et de Redemptoris gratia exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora X—XI.

Lic. Ant. Pohlmann.

- I. Ethicam christianam docere perget diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora VIII—IX.
- II. Introductionem historico-criticam in sacros V. et N. T. libros dabit, nec non de Critica atque Hermeneutica biblica disputabit diebus Mercurii et Saturni hora VIII—IX et die Martis hora II—III.
- III. Librum Genesis explicabit horis definiendis.
- IV. Institutiones syriacas continuabit horis definiendis.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Physicem docebit experimentisque illustrabit nec non Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
- II. Astronomiam populariter exponet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
- III. Exercitationes geometricas moderabitur et theoriam generalem linearum et superficierum curvarum tradere perget diebus Mercurii et Saturni hora XI—XII.
- IV. Calculum differentialem et integralem tradet, et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet diebus Lunae et Jovis hora II—III.

Dr. Max. Trütschel, P. P. O. Des.

Valetudine reparata lectiones indicabit.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O.

- I. Sophoclis Oedipum Regem interpretabitur ter per hebdomadem hora X—XI.
- II. Horatii ad Pisones epistolam explicabit aut Tertulliani Apologeticum bis per hebdomadem horis definiendis.
- III. De rebus mythologicis disseret bis per hebdomadem hora X—XI.
- IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. Joan. M. Watterich, P. P. E.

- I. Italicam medii aevi historiam enarrabit ter per hebdomadem hora V—VI.
- II. Revolutionis quam vocant franco-gallicae historiam tradere perget bis per hebdomadem hora V—VI.
- III. Linguae germanicae grammaticam comparativam explanabit semel per hebdomadem hora definienda.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Feldt**, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica cum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheill-Busseanum.

Ut rei monasticae originibus exploratis historiam ejus ad Benedicti Nursiensis usque tempora enarrent, Commilitones provocantur, praemio XXV Imperialium constituto illi, cujus libellus, die I. Julii anni MDCCCLX Rectori exhibendus, judicibus maxime satisfecerit.